

1487

C O D I C E S

1488

Controversiarum, quae inter Catholicos et Protestantes vertuntur, dicatum a. 1730. *Elisabethae Archid. Austr.* pro fratre *Carolo VI. Imp. Belgium* gubernanti ab *Stephano Amiodt* e S. J. qui ei a sacris confessionibus fuerat, et ab ejus morte *Viennam* redux octogenario major a. demum 1759. decessit, postquam ibidem jam olim *Exercitationes theatrales 1709. Germaniam veterem selectis quaestionibus illustratam 1712. et Germaniam in Naturae operibus admirandam 1713.* 12. juvenis vulgasset. Praesens porro Opus in *Partes* tribuitur II. quarum prior inscribitur: *De praetensis Novitatibus et Abusibus Ecclesiae Romanae Catholicae*, altera: *Novitates, Abusus et Errores Ecclesiae Lutheranae*. Quaelibet XI. *Capitibus* definitur, quae in plures vel pauciores §§. pro ubertate materiae abeunt. Ratio tractandi haec est, ut quovis §. *Parte* quidem I. *Accusatio*, *Parte* vero II. *Thesis* a catholica proponatur; hanc autem *Animadversio Catholica* excipiat. Opus eruditum, solidum et ita plenum est, ut non facile quidpiam eorum, quae in disceptationem venire solent, non discussum desideres. Nec te moveat, *Librum* *Virgini* latine scribi; hac enim lingua, ut verbis *Franc. Wagneri* nequaquam *Feminis Principibus* adulari soliti c. 1. *de Elisabethae Vita et Virtutibus*, *Vien. 1746.* p. 11. 8. dicam, *non minus ac virbis literis innutritus castigata utebatur.* Voluerat id *Augusta Mater*, ut eam puellula adriperet tan-

quam ad alias linguas condiscendas perquam utilem. Igitur et postea, dum *Belgium* pro *Fratre* curaret, cum *Confessario* et *Medico* suo non nisi latine loquebatur, *minime*, ut addit *Wagnerus* p. 12. *imitata vanos quosdam homines, qui, quod ignorant, spernentes Clericorum duntaxat hanc linguam existimant.* Praesentis Operis bina praeterea *Exempla* sub *NN. 1158—59.* in *Bibliotheca Palat.* prostant.

DCXLI.

Codex seu potius *Collectio R. 1146* *Voluminibus XV. 4.* constans, quondam *Stephani Amiodt* S. J. *Presbyteri*, qui *Elisabethae Archid. Belgium*, ut *Cod. praeced.* dixi, gubernanti per 20. annos a sacris *Confessionibus* fuit *Bruxellis*, plurima complectitur ad omnem *Theologiam*, *Jus canonicum*, *Politicam*, *Historiam* praecipue *ecclesiasticam*, turbasque ineunte *Seculo* nostro ob *Jansenii* doctrinam et *Constitutionem Unigenitus* in *Belgis* motas, quorum longum foret, *Catalogum* hic texere. *Indicasse* sufficiat earum *Controversiarum* *Studiois*, cumque in pluribus horum *Voluminum* *Manuscriptis* passim *Impressa* misceantur, ea etiam in *Catalogum Librorum Impressorum* *Bibliothecae Palatinae* relata norint.

DCXLII.

Codex chartaceus lat. belg. *Sec. R. 630* *XVII. Folior. 35. 4.* est *Demonstratio*

stratio compendiosa, dari in Hollandia e Clero Nouatores, ac imprimis Jansenistas. Scripta est, ut in calce liquet, anno 1690. ab itaque in II. Sectiones, quarum Argumenta, ut fol. 33. recolliguntur, hic adscribam. Argumenta prioris §. Dantur in Hollandia e Clero 1°. qui adferunt dogmata noua. 2°. qui utuntur Scriptura noua. 3°. qui inuehunt Catechismos nouos. 4°. qui administrant Sacramentum poenitentiae iuxta methodum nouam. 5°. qui administrant Sacramenta ritu nouo. 6°. qui creant passim commotiones nouas. Argumenta posterioris §. Dantur in Hollandia e Clero 1°. qui dogmata tenent cum Jansenio communia. 2°. qui fabricant interpretationes subdolas, ut Jansenii doctrinas censuris subducant. 3°. qui Formula pontificiae pro exjurando Jansenismo subscribere detrectant. 4°. qui ducem sequuntur Jansenistarum principem Arnaldum. 5°. qui non nisi merum phantasma asserunt esse Jansenismum. 6°. qui Louanii a Jansenistis Professoribus jansenistice tincti sunt. Multa in his singularia et curiosa ad famosas illas turbas. Additur sub finem Elenchus praecipuorum librorum, qui a Theologis Hollandis de grege Jansenistarum nuper editi, ac praecipue per Hollandiam sparsi sunt. Sunt vero sequentes: De Catholyke Ouerwinnende Waerbeydt Caroli de Bont, et Algemeen Afbeeltzel &c. Ignat. Eykenboom. 1684. Reghtmaetigh Onderfcheyd des Catholyken Geloofs Car. de Bont. 1684. Beschermingh van de Ro-

omsche Kerck autore B. P. 1686. Kort begryp van de christelyke Leer, nopende de Verkiefingh en Genade Gods autore G. L. M. 1688. Gods woord verdedicht f. Aut. 1685. Beweirde Vrybeyd aut. A. A. P. L. D. G. Nova Versio Flandrica IV. Evangeliorum f. Aut. 1689. Christelycke Ouerwegingen aut. G. B. 1687. Christelyke Onderwysingen en Gebeden f. Aut. 1685. Kort bondigh bewys van dat 'er in Holland geen Secte van Jansenisten is aut. C. O. C. 1688. Het Geschrift van onsen allerbeyligsten Vader Clemens VIII. f. Aut. 1689. Brevis Tractatus de Indulgentiis et Jubileo Hugonis Fr. van Huisen 1690. In singulos hos Libellos virga censoria animadvertitur.

DCXLIII.

Codex chartaceus lat. Sec. X. H. 20 VII. Folior. 42. 4. hunc Titulum praefert: *De Pace Religionis M. Antonii de Dominis Archiep. Spalatensis Epistola ad venerabilem virum Josephum Hallum Archipresbiterum Wigorniensis. In qua sui etiam ex Anglia proximi discessus idem Author rationem reddit: Quaestita quoque Regia sibi discessuro facta, suasque ad ea responsiones refert, Et ab ipso Hallo increpationes acceptas rejicit. Qui pacis inuenit consilia, sequitur eos gaudium. Prov. 12. 20. Ita Pacem Ecclesiae nunc obtendit Vir levior cortice et suo iracundior Hadriani prius alia longe in Romam Londini debacchatus. Agit de illo,*